L.

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI, ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI, INSTITUTA ANNO M. DCCC. XXIII.

DANTUR NE MORBI A PRIMITIVA LIQUIDORUM, VIVENTIUM DEPRAVATIONE?

THESIS

Quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate medicâ Pariensi, præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum disputationibus subjiciet die XII *mensis Decembris anno* M. DCCC. XXVI.

L. V. BENECH,

FACULTATIS MEDICÆ PARIENSIS DOCTO

PARISIIS,

EX TYPIS MOREAU, VIA DICTA MONTMARTRE, N°. 39.

Præses	D. ESQUIROL.
Judices	FOUQUIER. CAYOL. RÉCAMIER. FIZEAU. ADELON. JADIOUX. KERGARADEC.
Vicarii judices	CHOMEL. ROCHOUX.

DIVINO HIPOCRATI,

Qui viam quæ ducit ad verum, in medicina, primus docuit homines, eos ad summum observationis arripiens.

NOSTRATI BICHAT,

Virorum maximo. Organisationis detengendo primus intima, atque principia generalia quibus subest, nos concinnitatem observationis edocuit, naturamque mali.

Quorum manes virorum, hoc opusculum meum accipiatis; si hominibus profui, vestrum opus!

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM,

JUSSU REGIS OPTIMI, ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI, INSTITUTA ANNO M. DCCC. XXIII.

QUÆSTIO SOLVENDA HÆC EST.

Danturne morbi à primitivâ liquidorum viventium depravatione?

Ut solutio hujus quæstionis quàm maximè eluceat, primùm dicemus quid per humores intelligere debemus viventes, quid sibi velint postrema hæc verba, deinde agetur utrùm possint liquida vitiari. Quibus consideratis, solvemus quæstionem.

De quæstione universè intuitâ.

Intùs et extrà obnoxium stimulis est corpus, unà cum illis consortium habet, dumque hoc est naturale, vita manet integra. Quos inter stimulos, hi interiores deponiti in cavitatibus variis spatio, aut qui in vasis moventur, *humores* nomen habent. Quantitate, colore, odore, densitate atque compositione diversi, fuerunt in classes ordinati pro tempore. Quatuor enumeraverunt antiqui medici sanguinem, pituitam, bilem rufam atrabilemque, et exi llis unicuique peculiare aptum erat temperamentum. Deinde fuerunt ordinati humores proprietates secundùm physicas atque chymicas; sed ut scientia anatomes et phisiologia grassata est, eas

mutaverunt medici divisiones, et nunc ad duo genera reducuntur. Ex illisque una liquida amplectitur quæ prosunt ad corporis formationem, et altera quæ organorum è decmpositione manant. In priore numerantur alimenta, chylus, lympha, sanguis venosus, arterialisque. Posterior continet classes duas diversas : in unà sedent liquida quæ corpora egredi debent, et quæ *exhalata* nominantur. Inter ea sunt sudor, ista quæ exhalant muscosæ membranæ pulmonaria, gastrica, urinaria, genitalis, humor sebaceus, auris cerumen, mucus nasalis, gutturalis, pulmonarius, urinarius, genitalisque, lacrymæ, saliva, mucus pancreaticus, bilis, urina, humor spermaticus et lac. In alterâ enumerantur liquida quæ in quibusdam profluunt superficiebus, et quæ postea in circulatione generali apparent; et hi humores sont liquida serosa, synovialia, ii quæ accipit tela cellularia, adeps, medulla, etc. ut videtur sunt affluentes, et mole solidis præstant. Quam differentiam existimavit Chaussier.

Humores undique variabiles secundùm organa quæ eos formant aut accipiunt, videntur quadam præditi vitâ, et sic cogitat Bichat : « Quamvis, inquit, vitales proprietates inhærentes sint » præsertim fibris, tamen non debemus humores intueri ut omninò inertes. Liquet liquida ex quibus componitur corpus, » sibi majorem quantitatem vitæ adjungere, incipiendo per » alimenta, ex quibus nascuntur præsertim, usque ad solida. » Moles alimentaria est minore prædita vitâ, quàm chylus; hic » minùs est vivens quam sanguis, etc. Cognitionem dare quo » modo tenuissimæ partes corporum vitalibus alienæ proprietatibus, habentes solùm physicas, sensim priorum induant » elementa, sine dubio esset materia investigationum præcuriosa. An Generalis, f. LXVIII.

Post hæc scripta, brevi addit : « Dicere quid est hæc vitalitas, » Hoc clarè impossibile est; sed tamen certa ejus existentia. »

Anatomia G., f. LXIX. Et hoc sic esse debebat, etenìm si liquida fuissent prædita ominò proprietatibus alienis, ea repulissent solida. Quæ, forsàn, vitam induere proprietates sunt effusæ magis quam vulgò cogitatur, forsanque in multis sunt corporibus in quibus fugiunt sensus nostros, quia sub imperium existant physicarum legum ?

Sed possunt ne depravari liquida viventia ? quæ ipsis factis solvitur questio. Eorum undè origo elementaque ? è corporibus exterioribus nascuntur. Porrò cùm aer, substantiæ alimentariæ cum quibusdam corporibus immesceri possunt, necessariò líquidia ex eis procedentia sunt pravæ indolis. Sensibilitas sensuum est, sine dubio, exquisita, et hoc ad conservandam necessarium, vitam; at tamen, hâc invitâ præstantiâ, nimium sœpè errat, venenum cum alimentis in ventriculum irrepit, quamvis pervigilet palatus. Miasmata, tenussimæ partes corporum alienorum in pulmones volitant cum aëre, et tamen non monet odoratus de periculis ad quæ fugimus. Quotidiè non ne quisquis potest ad experimentias confugere quibus cathartica, vomitoria, soporifera absorbentur, mixtaque aliis cum liquidis quæ in circulationem adducit absorptio ? Sic liquida viventia propter originem considerata depravari possunt; et propter hæc nostra valet opinio.

Si deindè attentè eadem investigamus liquida ab origine disjuncta, docuit nos observatio, adhuc ea in depravationem cadere. Infirmare quærens Bichat eorum doctrinam quæ edocuit humores viventes esse incorruptibiles, corporis dat historiam secti, in quo sanguis, qui in venà portarùm movetur, nihil aliud erat quàm sanies cinerea; convictusque eam esse hujus liquidi depravationem, dicit : « et certè ista non erat sanies » effectus à cadavere pendens. » Anatomia generalis, f. LXX.

Si attentè consideramus ægrotantes, depravatio humorum quam semper auctores probant in descriptionibus præsertim

febrium , sensus commovet. Apud omnes auctores, de sudoribus glutinosis, de muco spisso obnigròque in linguâ sedente, de urinâ tum abatrâ spissâque, et ubique de liquidis depravatis dicitur. Hypocrates , in libris epidemiarum, præsertim in primo tertioque; Pinel, in celeberrimâ nosographiâ, hic ubi agitur de febribus, istius veritatis multiplicant argumenta. Si nunc intuemur expirata liquida in superficies organorum interiores , et quæ in circulationem postea redeunt , illic sunt posita argumenta depravationis. In membranis serosis hoc semper videtur factum. Quotidiè cadaverum sectiones, nobis, in cavitate arachnidis seroritatem spissam sanguinolentamque ostendunt. Idem phenomen in pulmonum cordisque serosis membranis , in eaque materiâ tollit dubitationem omnem auctor Læennec, f. CCCXLIV, editio prima de auscultatione mediatâ. Dat historiam sectionis cadaveris, cujus pulmonaria serositas erat sanguinolenta; aliòque dicit materiam sero-puralentam in plurâ versari. Cæterum, si facta non recusari possunt, hanc minimum ratiocinium demonstrat veritatem. Quid sunt solidis liquida ? Hæc eorum in sanguine eligunt elementa, modificant ea secundum sensibilitatem quâ prædita sunt; sed sine eis esse non possunt, enìm ea est rerum natura, ut vita sit. Porrò quùm ægrotant fibræ, quo modo intelligere, humores quos eligunt esse naturales. Opinio Bichat erit semper opinio sapientis. Dicit, « omnia amplificamus. Sine dubio solida, quibus præcipuè inhærent vires vitales, afficiuntur peculiariter in morbis juxta naturam ; at cur liquida tunc non ægrotarent? cur non in eis, ut in fibris, quæreretur morborum causa » ? Anatomia generalis.

DE SOLUTIONE QUÆSTIONIS.

Dantur ne morbi â primitivâ liquidorum viventium depravatione?

Dicimus paucis verbis quid per liquida intelligere debemus viven-

tia, quænam sit, de eorum vitalitate, opinio Bichat, induereque pravam indolem; atque quæstio nunc est: danturne morbi à primitivâ liquidorum depravatione? In hac inquisitione liquida inivestigabimus classes secundùm in quibus primùm ordinavimus; dicemus si unnm quodque depravatur liquidum sine solidis, et in illo labore, nostro erunt auxilio ratiocinium simplex, physiologia clarissima, facta certa, experimentum autoritasque magistrorum.

In memoriam revocando, ut integrâ simus in vità, sub corporum exteriorum interiorumque imperium vivere hominem, in nos agere stimulum perpetuum, atque inter corpora, exquibus ille nascitur, esse liquida; solùm propter eam veritatem stimulos omnes depraveri posse, generareque morbum, questionem solvendam affirmatè opinamur. Exindè si primùn quæritur quid sit morbus, illiusque causa, opinionem nemo fugere potest, morbos dari à primitivà liquidorum depravatione viventium. Nostrorum quænam est origo malorum? Meam thesìm quæstio soluta probat. Quùm igitur eorum originem quærimus, solùm invenimus in congruentiâ falsâ, aut organicorum elementorum cum stimulis peculiaribus nimiùm firmis, aut cum generali stimulo, vel corporibus cum alienis, in defectû sive stimuli, aut in congruentiâ falsâ elementorum inter ea organicorum, aut in alteratione denique organicæ fibræ. Qui circulus æternus, in naturà existit, puncta ejus varia mala humanitatis enumerant, atque cùm viventia liquida, in numero stimulorum existant, et cum depravantur ut alii, benè manifestum est morborum multitudinem ex ea depravatione nasci. Bichat dicit: « dùm in statû manent » naturali liquida, generant stimulationem naturalem. Sed qualibet causâ immutetur mos eorum; cum iis immisceantur aliena » principia, stimulant statìm contrà naturam; incitant irregulares repulsus, functiones perturbantur, nascuntur morbi. Ergò » videre licet ex liquidis sæpe ortum ducere primos posse » materiam affere morbificam. » Anatomia generalis, f. LXIII.

Quibus adscriptis, nunc nostram agitemus quæstionem, agendo ut suprà dictum est; id est investigando 1°. liquida quæ in organicâ structurâ prosunt; et 2°. ea quæ nascuntur ex organorum decompositione.

Quæ invenitur veritas in organorum congruentiâ, quæ agunt in corporibus proficientibus ad organicam compositionem. Quotidiè experientia nos docet, pravæ indolis alimenta ferri in ventriculum; atque cruditas aut dolores qui tunc apparent, non ne producuntur corporum depravatione deglutitorum? hìc malum est locale, sed cum alimentis materiæ putriæ, principia contagiosa, immiscentur; ea sustinet ventriculus aliquo tempore; ratio proclivis ad credendum eis ventriculum non moveri; symptomata apparent generalia ex omnibus organis, minùs ventriculus dolet; et tunc est ne dubium quin chylus depravetur; quin sanguini immixtus, generalem illum stimulum depravaverit; et tum in statu presente, morbi non ne oriuntur ex liquidis sic compositis?

Extrà, eadem phenomena; vasarum extremitates absorbentium cutaneorum applicatæ corporibus alienis, depravatisve, ex his hauriunt corporibus partes, aliquot ex eorum partibus mutant; in vasis suis accipiunt eas; brevi ægrotant; et tunc dubium ne est, quin mali labes sobolescat ex liquidi depravatione, quod in his movetur vasis? Quo modo aliter explanare malum quod alumno accidit, cujus in reliquiis manus nimium cadaverosis hæsit; et quod modò ostenditur in expositâ regione contactui proximo, sæpèque in loco à prima regione remoto. An non pulmones patent liquidis corruptis quæ earum cavitatum absorbentia vasa in circulationem adducunt; atque an non ex ea depravatione nascentur morbi plures, ab illâ dependentes? Immisceantur aeri aliquot miasmata, et fortassè sæpè pulmonarii dolores, solùm sobolescunt ex illis miasmatibus vasa absorbentia afficientibus, si per anologiam judicatur. Non ne idem est de venereis morbis? Non ne ii nascuntur morbi ex liquidorum depra-

vatione primitivâ ; et qui, sub nomine viri, crutiant vasa in quibus fluit lympha. Quod non minus est verum in vulneribus. Lanium vidi cujus Sinister talus vulneratus, inque urinâ corrupta bovis immersus, brevi doloribus dilaceratum, tractus inflammatorius, ut digitus auricularis latus, videbatur nascens ex vulnere, et indè usque ad inguens sese ferebat, ubi intumuit bubo. porrò, hic ut ibi, mali principium an non erat in liquidorum depravatione quæ accipiunt hæc vasa ? omnia liquida enumuera quæ accipiunt organa, et quæ prosunt compositionis organicæ, et ubique persuasum habebis, ut primitùs depravari possint. Hinc colluvies gastrica, nauseæ, vomitus, diarrheæ, colicæ ex vitio alimentorum; dolores, rubedines cutanei pro ut systema absosbens hauserit noxia corpora; vel denique tussis, oppressio aderunt si in pulmonibus miasmata idem systema acceperit.

Depravatis humoribus, non dubium est cavitates aut vasa quæ eos primæ accipiunt, generaliter primas ægratare; sed elementorum est mutabilis sensibilitas, non sic semper apparet malum, et quotidiè ventriculus, absorbentiaque sive cutanea sive pulmonaria, recipiunt, sine signo levissimi doloris, depravatos humores. Quod sæpè probatur, sed quoquè sæpè evenit ut morbi alius organis appareant. Porrò quum corpora quæ absorbentur, in circulationem ducuntur; tum necessariò sanguis est depravatus, indeque morbi. Vinum, aromata non ventriculum torquent, sed, post aliquot horas, eorum percipitur stimulatio ; et tum vel cerebrum, vel totum corpus olet. Datum in frictionibus hydrargirum, stimulat absorbentia vasa; sed an non ista quærantur ? Non certè, et si salivarum secretio glandularum non esset affluens, hòc forsan remedium ignotum esset. Facta sunt numerosa certaque, et si, ex illis aliquid nostræ opinioni idoneum concludimus, apertum habemus sangninem primum depravari, ex istaque depravatione primitivâ sobolescere morbos. Verisimile, organa, quæ prima liquidorum sæpè stimulationem sentiunt, priores ægrotare sæpè

ante depravationem sanguinis, at physiologia quæ varias elementorum sensibilitates nos docet, ipsaque facta quibus non levissimus ostenditur dolor, probant veram opinionem esse de quâ agitur. Quod si non esset, quis intelligere posset periculum in castris, in nosocomiis, in carceribus, in fluminum in exundationibus, in aere paludoso, in athmosphærâ putrecentibus animantium aut vegetalium reliquiis vitiatâ, in victu pravo, in putrescentibusve cibis, in aquâ corruptâ, in multisque aliis causis origini febrium gravissimarum idoneis ?

Quùm solùm in organo peculiari liquida depravantur, ut in ventriculo, malum locale est, ejus mutatur indoles si vitiatur sanguis. Quod omni cum corpore in congruentiâ liquidum, tum ex illo sobolescunt multi morbi qui sunt aut peculares aut generales. Cutis hominis hydrargiro stimuletur, si quantitas parva, erit secretio levis salivaria, malum erit in solo organo, quantitas augetur multùm, febris nascetur gravis; sanguine corruptiori eadem apparent symptomata miasmatibus, aut pravo victu. Solùm aliquot tenuissimæ partes alienæ sanguini immisceantur; et tum vasa quæ sudorem exhalant, in aliquâ ægrotabunt regione, erysipelataque aliæve inflammationes nascentur, illarum pus præsidio erit exhalationibus nimium infirmis; sicque in malo remedium mali natura monstrat. Si contra minium fuit pravus cibus; si diù in densis miasmatibus vixerit homo, sanguine nimium depravato torquentur organa, ex eoque sobolescunt febres, aliique cum eis morbi.

Sic, ex dictis judicando, secundum sanguinis depravationem videntur crysipelata, herpetes, catarrhi pnlmonarii, vomitus, diarrheæ, etc.; aut febres biliosa, mucosa, adynamica, atacta, etc.; morbi omnes nati à liquodornm vitio primitivo. Stude morborum causis; et eorum invenies numerum maximum dependentem à causâ præsenti. Ubique natura eam ostendit veritatem, et inter eos maximus qui adoraverunt eam, tuetur opinionem istam Bi-

chat. « Ne credas, inquit, nihil liquida in morbis esse, doloris » sæpissimè ferunt germina letalia, tum agunt ut in sanitate in quâ solida omnia génerant phenomena quæ sensus movent; sed in quibus eorum actio nequit liquidorum divelli ab actione. » Anat. generalis, f. LXIII.

In alio loco addit : « Porrò Liquet destinata peculiariter liquida » organorum compositioni, afferre principia morbifica ; istorum » esse præsertim vehiculum, liquida morbos inferunt. f. LXIV. »

Liquida, quæ ad organorum composionem valent, primitùs, depravari posse demonstratum est, ex illisque sobolescere plures morbos; quoque in organis quæ valent ad rejiciendas extrà corpus riliquias decompotionis organicæ, apparent morbi tum nascentes à primitivâ humorum depravatione. Si solùm physiologiæ, leges simplices interrogas, quod dico certissimum est. Non ne demonstratum vitiari posse sanguinem primitùs? Porrò quùm liquidum istud est in proximâ congruentiâ cum vasis ex quibus rejicitur sudor, mucositas pulmonaria, gastrica, etc.; certè ista vasa quæ sanguinem semper purificant, ægrotare debent quum existit depravatio illa, si consequentia quæ ducitur à veritate, ipsa est vera. Si nunc quærimus facta, eis probatur mea opinio. animadverte quod evenit post liquidorum depravationem primitivam quæ adhibentur in organorum compositione, ut quum habitamus ad paludes, in carceribus, ad loca in quibus putrescent reliquiæ animantium vegetalium, etc.; semper prima symptomata morborum qui tunc oriuntur, apparent in alteratione functionum organorum quibus extra corpus expelluntur sudor, mucositates, etc. quænam sunt auctorum observationes in febribus adynamicis, mucosis, rufis, etc.? Omnes scribunt pellem, linguam esse siccas. Sine dubiò, si non est gravis alteratio humorum, malum non universale erit; sed ut antea erit malum locale. Interroga experentiam, nos docet plures morbos nasci, ut catarrhi, ex depravatione primitivâ liquidorum, quæ compositioni organicæ inserviunt. Sic in multis morbis, ut crysipelas,

herpes, aut febres, si velis mali agnoscere naturam, animadverte congruentiam organorum cum sanguine, hujusque compositionem quam judicabis ex historiâ ægrotantis.

Quæ si organa ægrotari possunt, quum primitùs depravatus est sanguis; quum unum ex illis functionibus absistit aliâ causâ, alia quoque exemplum imitantur organa, sentiunt eosdem dolores de quibus anteâ esimus; et modo sequenti existit phenomenium præsens. Supponatur corpus accipiens imbrem subitaneum et frigidum dun æstuat. Prima actio istius corporis cohibendi erit vasarum functiones ex quibus ducitur sudor; sed quum hæc vasa, ex mole sanguinis, hunc promunt humorem, et quum nullitate fonctionis ægræ hæc non existit decompositio; tunc non dissolutus sanguis, fit alienus ab aliis organis; et ista elementa organica perperàm stimulata revelant morbum. Quod physiologiâ prabatur; confuge ad facta, inter se non dissensiunt, ex omnibus auctoribus, exhalatione cutanea et secretione pulmonaria imminutis, aliæ exhalationes aut secretiones diminutæ sunt, sive localiter, sive universè. An non litteris proditum est, febres à transpiratione dependere suppressà? et reipsà; morbis in illis siccitate membranarum mucosarum, et urinis paucioribus, hæc veritas patet; et tum, quando malum est locale, sicut in neurosibus phelgmasiis post eamdem causam incidentibus. Si igitur eò mentem appellamus, ut quodcumque organum seorsum ab aliis vivat; quùm necessariò hanc post causam dolet plura, cur mihi dolor non videretur datus sanguinis depravatione, potiùs quam aliâ causâ? Quod hìc evenit juxta naturam, sæpè fluxû purulento producitur cohibito; atque in hoc occasû, morbi qui in aliis videntur organis multùm distantibus, non ne expectandi sunt ut possint sanguinis depravatione dari primitivâ? Incassùm sympathia invocabitur in illis phenomenis explicandis, quamvis istius verbi detorqueatur non parcè sensus; erit vero proximum, luem, quæ in multis casibus evenit post primam mali labem, a vitio sanguinis pendere; atque presertim sanquinis rubri.

Qui idem est morbus ac illì qui pendent a liquidorum depravatione primitivâ, organorum compositioni inservientium. Hìc ut ibi quum morbus est universus, primùm sunt suppressæ exhalationes cutaneæ, atque secretiones mucosæ; et dein appetitus est nullus, respiratio quamvis accelerata, sanguis non rubet, sicut in sanitate, proximumque est veritati absoptionem viribus indigere. Quid cæterum simplicius? Æternus consensus inter organa ad vitam conservandam; ac veluti in primo casu, aderunt eædem complicationes, congestiones sanguinis, secretiones copiosæ, hemorrhagiæ, etc., quià natura hìc ut ibì modis vitæ scatet. Probatum est quod dico, scriptis de febribus quæ, ex suppressione functionum foras repellentium liquida decomposita, ortum habuere. Similia, quùm sanguinis minùs est depravatus, et tum indè lues tamtummodò localis; tum videre licet, modò morbos cutaneos, modò mucosos, secumdùm liquidi vitia.

Si omnia ad probandam veritatem, de quâ agitur, vergunt, ex ratiociniis constat liquida iis organis peculiaria non depravari posse. Quo modo fiunt sudor, mucositates? Qui humores nascuntur sub imperium vis vitalis inhærentis organis; ferè ab organis creantur ista liquida, idcirco videtur eorum depravationem sequi solidorum morbos. Haut dubiè horum liquidorum elementa existunt sæpe in mole depravatâ, priusquam organa ægrotent; attamen quum vasa quæ eligunt ea elementa, falsam invenientia congruentiam, ægrotant, antequàm sit existentia liquidorum quæ propelluntur extra corpus. Forsam aliquandò ea est vasorum absorbentium vis ut eligat liquida, sine dolore; sed hoc difficile concipitur, propter sensibilitatem atque congruentiam eorum.

Dictum est morbos esse datos liquidorum a depravatione compositioni organicæ inservientium, et ablatos esse ab organis inservientibus decompositioni organicæ. Quæ opinio non est omninò vera. Morbi generati tenui cibo, hemorragiis, etc., curantur ab or-

ganis quæ laborant in compositione fibrarum. Præterea quum excogitatur malorum maximam partem, originem ducere ex secretionibus ex exhalationibusve in nullitate prolapsis, patet errorem esse.

Si nunc investigamus membranas aut organa in quibus fluunt liquida quæ postea in circulationem afferuntur, hìc ut in organis præcedentibus morbi nascuntur a primitivâ liquidorum depravatione. Membranæ serosæ, synoviales, tela cellularia, habentes vasa capillaria in quibus movetur sanguis aut humor albidus, necessariò cùm primus humor est vitiatus, ista vasa in falsis congruentiis, tùm dolent.

Quùm morbi sic in eis existant membranis, phenomena eadem sunt ut in casû præcedenti; pendent sæpè a sanguine depravato. Hoc demonstrat ratiocinium simplex, et experientia quoque probat. Post causas quæ sanguinem primitùs depravant, nascuntur peritonites, rheumatismi, sinoviales, phlegmones, etc., possunt non ne existere symptomata quæ peritonites, rheumatismosque simulant quamvis nulla inflammatio ?

Liquida eis peculiaria organis, numquam sunt primitùs depravata. Quod dictum est, hæc probat. Tamen animadvertendum est ista organa minùs affici stimulo generali, propter structuram sensibilitatemque eis idoneas.

Quò magis analysi subdicimus congruentiam corporis, eò magis nobis patet, morbos a depravatione primitivâ liquidorum dari. Quæ idea est antiqua ut medicina. Ea nimis olim amplificata fuit, indèque magnæ calamitates. Hoc errore nato, morbi solùm medicis apparuerunt in solidis. Quæ existat adhuc opinio, sed nihil probat esse veram. Eam defendit celeberrimus pinel; sed quod præscribit in morbis, probat in verba. Quærit argumenta in chymiâ contrà liqnidorum depravationem; sed ut rectè solvatur questio, sanguinis indoles naturalis antea cognosci de-

bet, et quod ignoratur. Præterquam, quid est sanguis ? est humor ferè organis præditus, ferè vivens, habet congruentiam cum solidis quæ stimulat, quum istud vinculum vitiatur, ejus corpus humoris depravatur, et si vinculum omninò discerpitur, se liquida sejungunt se ab solidis, in eis mille nascuntnr mutationes, ante dissolutionem; atque mortua, quando quæris cognoscere compositionem, quid tibi in eis ostendetur nisi cadaveris reliquiæ?

Sine dubio depravatio sanguinis aliquandò cognoscitur, sed hoc rarum est; et adhuc malum tunc est locale forsàm. Quùm omnis moles sanguinis est depravata, ista alteratio, nos fugit. Sic est ut in solidis, quum ut in febribus omnia organa œgrotant. In his morbis, mortuo œgrotante, depravatio organica nobis est ignota. Sic jussit natura ! vivimus ignorantes principium vitæ, et quum mortui, frustrà quàm maximè contemplamus attentis oculis solida et liquida corporis humani, tunc causa mortis, est ut vita, arcanum creatoris.

Non aliter sentit doctor Broussais ac immortalis Pinel. Cogitat omnes morbos esse phlegmasias; secundum eum stimuli sunt periculosi, et *physiologia* docet morbos non dari liquidorum depravatione viventium primitivâ. Sed tamen supposita sint dua crysipelata, quorum unum ex insolatione pendet, et alterum ex pravo cibo; et cura ea corporibus antiphogisticis. Primum certè brevì sanabitur, in secundo eventus alius erit, corpora antiphogistica cohibent conatus organorum, quæ majore exhalatione enituntur sanguinem decomponere; tum certè causa mali vivificatur, sunt varii conatus secundum remedium, denique malum fit grave, et sæpè letale, quia experientia antiquorum medicorum, qui tum levia cathartica præscribebant, contempta est. Si hic autor investigatur in aliis morbis, ut in febribus, semper causæ ignotæ sunt, cumque eis sedes mali, et in morbis omnibus remedium est periculosum, quia semper corroborat causas, compescendo, frigidis, exhalationes secretionesque corporibus.

Quæ opinio, morbos dari à primitivâ depravatione liquodorum viventium, vera in physiologiâ, et in observationibus, experimentis probatur quoque apud animalia. Plures canes inspirent aerem vitiatum, alii allantur cibis putrescentibus; liquidia inservientia compositioni organorum variè corrupta, ex illis nascuntur varii morbi, inter quos erysipelas, febris inflammatoria, pustula maligna, pestisque enumerantur. Contrà cohibe secretiones pulmonarias, digestivas, exhalationes cutaneas, frigore, apud sana animalia, et, a sanguine depravato, secundùm mali causam, alii morbi producuntur. Inflige ingentia vulnera animalibus in sanitate, serva ea diù, repentèque cohibe puris profluvium, et adhuc varia mala producentur pro causâ.

His argumentis alia adjiciamus. In his experimentis semper malum curatione augeturve, aut tollitur brevi lentève, si curatio sola ducitur naturâ, si opportuuè exhalationes aut secretiones revocantur, aut sì sunt semper cohibitæ. Anno postremo hoc probatum partìm in febribus ante multos alumnos, idem erit probatum in aliis morbis.

Ratiocinium, physiologia, observationes, experimentumque probant morbos dari primitivà liquidorum viventium pravatione. Si fuisset pertentata ex omnibus partibus solidorum congruentia, quæstio præsens esset veritas in omnibus conscientiis; et cum eâ multæ aliæ varitates notæ. Observationes tum antiquæ, tum recentes penitùs perspectæ legibus physiologiæ, multaque factà mihi propria, hoc probant. Quum studemus attentè congruentiæ organorum, investigando quodque elementum organicum in societate corporum, tum causæ sunt claræ, morbus simplex, ejus natura cognita, curatio instinctû indicatur, brevique redit sanitas, etiam sæpè in his malis ubi mors imminet; aut saltem sœpissimè dicitur, cur non curari possit æger; et denique hanc possumus in animalibus imitari veritatem. Quæ præsertim existunt in morbis acutis quos considerat pathologia interna. Eò,

observationes strictæ, ut Hypocratis, Pinelque, et anatomia generalis imprimis ducunt mentem. Forsan aliis videbitur error, hæc veritas; sed in meo latè sedet corde; et, quod ante optimos judices dico, cuicumque libebit experientiâ probare possum.

Certè, sic studendo, vita medici non est semper in dubio, et in quæstione præsenti ducimur ad credendum esse morbos dependentes ab humoribus primitùs vitiatis. Cæterum hæc opinio semper fuit. Hypocrates non aliter sæpè considerat causam morborum. Illi videtur finis morbi cùm apparent exhalationes et secretiones; in libro primo tertioque epidimiarum hanc veritatem probat. Quam Galenus nimiùm tollit opinionem; sed probat esse maximi momenti. Post primum medicum imperii romani; Medici celeberrimi hanc opinionem amplectuntur, et in isto tempore nos docet hyldenbrand sanitatem in febribus revertere, cùm iterùm apparent mucositates, urinæ, imprimisque sudor. Non enumerabo cunctos auctores, series nimis longa esset. In eo conflictû opinionum, est sapiens ante alios Bichat, et postremùm illum solum modò invocabimus.

« Si sic morbos multifariàm intuearis, compertum habebis » quod verum est in unâ morborum classe, falsum esse posse in » alterâ, inde fit, questionem universè non intuendam esse, ut id » usque huc nimis actum fuerit; doctrinam solùm nixam in solidis, » aut in liquidis esse contrarium sensum pathologicum, ut theoritice » in quâ investigarentur solùm solida aut liquida, esset idem in » physiologiâ; duo pericula sunt æquè timenda, nimium omnia » singulatim, aut universè considerare. Prius ut posterius æquè » ad errorem ducit. »

Anat. generalis. F. LXVIII

FINIS.